



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXV. Vtrùm saltem de potentia absoluta possit stare meritum co[n]dignum vitæ æternæ absque gratiâ sanctificante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

probare dignitatem personæ provenientem à gratiâ habituali, non esse necessariam ad merendum de condigno gratiam, & gloriam; sicut indignitas personæ proveniens à peccatis antecedentibus, non est necessaria, ut peccatum de novo commissum mereatur de novo poenam, quod tamen ipsi Adversarii non admittent, ut patet ex supra dictis.

514. Obijcies 3. Si gratia justificans cōduceret positivè ad meritum condignum, sequeretur ex majori gratiâ in homine justo augeri ejus meritum; sed hoc est falsum; ex illo enim multa sequerentur absurda, quæ infra apponentur; ergo &c. Respondeo negando minorem, & ejus probationem, ut ex infra dicendis constabit *disp. 3.*

515. Dico 2. Gratia sanctificans conducit ad meritum condignum, non solum ut conditio, sed ut pars essentialiter constitutiva ipsius meriti, saltem in obliquo. Ita plures Recentiores, quos tacito nomine citat, & sequitur *P. Ripal. tomo 2. d. 78. sect. 2. num. 21.* Probatur, quia meritum non constituitur condignum per solam entitatem actûs, ut patet ex supra dictis, & ipsi Adversarii fatentur; alioqui existente solâ entitate actûs, existeret essentia adæquata condignitatis; siquidem existente essentia adæquata rei, non potest non existere adæquate ipsa res; ergo præter entitatem actûs est aliud constitutum meriti in ratione condigni; sed hoc aliud est gratia sanctificans; siquidem gratia, ut ipsi fatentur, est necessaria ad meritum condignum, & non est ita necessaria media alia entitate, quæ essentialiter constituit meritum condignum, sed immediate se ipsâ; positâ enim aliâ quâcunque entitate distinctâ à gratiâ, & hæc sublatâ, actus non esset meritorius de condigno; ergo gratia sanctificans immediate se ipsâ est constitutiva meriti in ratione condigni.

516. Dicent primò, gratiam solum requiri, ut per illius connotationem ponatur in opere elicito condignitas meriti; ergo non requiritur, ut pars illius constitutiva essentialiter. Sed contra, quia actualis connotatio gratiæ per se est constitutiva meriti condigni præter entitatem actûs connotantis; sed gratia est immediate necessaria, & constitutiva talis connotationis; siquidem hæc connotatio non est aliquid distinctum à coexistentiâ actûs meritorii, & gratiæ habitualis in supposito eodem; hæc autem coexistentia partialiter constituitur per existentiam gratiæ; ergo hæc est immediate necessaria, & constitutiva condignitatis meriti.

517. Dicent secundò, condignitatem meriti esse quandam moralitatem distinctam à gratiâ habituali, & opere meritorio, in quibus ipsa necessariò fundatur; ergo gratia non est constitutiva, sed fundamentum condignitatis meriti. Sed contra primò, quia actus liber eò ipsò consideratur dignus præmio, quod consideratur bonus, supernaturalis, & elicitus ab homine justo, licet non consideretur aliud ab actu bono, & gratiâ distinctum; siquidem actus prout sic allicet voluntatem divinam, Deumque prudenter movet ad conferendum præmium; sicut Rex prudenter illud confert, considerans sola egregia militis gesta, immemor moralitatis distinctæ; ergo talis actus non constituitur dignus præmio per moralitatem à se, & gratiâ distinctam. Secundò, quia ex hoc sequeretur, valorem meritorum Christi non esse infinitum, sed finitum; siquidem quidquid est à Deo realiter distinctum, non est infinitum, sed finitum; sequelo autem non est admittenda; ergo neque illud ex quo sequitur.

518. Dico 3. Gratia sanctificans confert actu meritorio æqualitatem proportionis cum præmio beatitudinis; ergo &c.

dinis. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 2. & in 2. dist. 17. quest. 1. art. 1. ad 4. & art. 4. & 9. ad 1. & 3. & in 3. dist. 31. quest. 1. art. 5. & quest. 26. de Verit. art. 6. & quest. 27. art. 2. ad 4. & cum eo Medin. Zamel. Lorca, P. Soar. P. Vasq. P. Valent. P. Bellarm. & alii, quos citat, & sequitur P. Ripal. tomo 2. cit. d. 78. num. 25.* Probatur primò ex *D. Paul. Rom. 8.* ubi dicit, non esse condignas passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; ergo ut sint condignæ, opus nobis est dignitate filiorum Dei, ut per illam suppleatur indignitas, sive defectus operum secundum se.

Probatur secundò, quia hoc idem colligitur ex doctrinâ Summorum Pontificum damnantium sententiam Michaëlis Baii docentis rationem meriti non accipi ex dignitate personæ, neque ejus valorem ex illâ meriti, prout supra diximus; siquidem hujus Authoris mens erat, totam æqualitatem operis cum præmio, seorsim à gratia justificante mentendam esse, & sumendam; ergo dum id in eo damnatur, benè colligitur, gratiam justificantem necessariam esse, ut conferat operi meritorio æqualitatem proportionis cum præmio beatitudinis.

Probatur tertio rationibus: Prima, quia gratia justificans, ut patet ex dictis, est necessaria ad meritum, quâ condignum præmio; sed meritum, quâ condignum præmio, est illi æquale, ergo ad meritum æqualitatem necessaria est gratia justificans. Secunda, quia gratia confert aliquid positivum in genere causæ formalis ad meritum, ut diximus; sed non est aliud, quod possit conferre, nisi æqualitas cum præmio; ergo &c. Tertia, quia bonitas operis secundum se non est æqualis cum præmio; alioqui esset ei æqualis tam in peccatore, quam in justo, cum in utroque habeat æqualem bonitatem secundum se; sed accedente gratiâ opus secundum se bonum fit æquale proportionaliter cum præmio beatitudinis; ergo &c.

SECTIO XXV.

Utrum saltem de potentia absoluta possit stare meritum condignum vitæ æternæ absque gratiâ sanctificante.

ADVERTES primò, quæstionem procedere de homine, vel Angelo habente auxilia supernaturalia ad eliciendos actus in entitate supernaturales; nam per actus in entitate naturales jam diximus supra à *num. 426.* nec de potentia Dei absoluta, posse hominem, etiam justum mereri præmium supernaturale. Secundò, quæstionem posse procedere de homine, vel Angelo existente in peccato mortali: aut carente tam peccato, quam gratiâ sanctificante. His positis.

Dico 1. Homo, sive Angelus existens in peccato mortali, neque de potentia Dei absoluta, potest mereri de condigno vitam æternam, nisi prius, aut simul mereatur de condigno gratiam, sive remissionem peccati. Ita *Capreol. Ferrar. Durand. & cum illis P. Tanner. tomo 2. d. 6. quest. 6. dub. 2. num. 41. & alii infra citandi.* Probatur, quia dum operans est in peccato, est simpliciter indignus vitâ æternâ; siquidem hic est effectus necessarius, & inseparabilis peccati; ergo quandiu est in peccato, non potest de condigno reddi dignus; alioqui esset simul dignus, & indignus, sive non dignus vitâ æternâ, quod implicat contradictionem. An verò peccator secundum

secundum potentiam Dei absolutam poterit mereri de condigno remissionem peccati? Dicemus infra d. 4. cum de Merito gratiæ sermo erit.

533. Dico 2. Homo, sive Angelus carens tam peccato, quam gratiâ sanctificante, neque de potentia Dei absoluta potest mereri de condigno vitam æternam, aut præmium aliquod supernaturale, per actum etiam supernaturalem, & ex auxilio gratiæ factum. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 2. & lib. 3. contr. Gent. cap. 150. Durand. in 1. dist. 17. quæst. 2. Capreol. ibid. quæst. 1. Ferrar. 3. contr. gent. cap. 147. Zúmel. in 1. 2. quæst. 114. d. 1. conclus. 3. Lorca d. 45. §. Hinc habetur, P. Vasq. 1. 2. d. 216. cap. 2. num. 14. P. Arriaga tomo 4. d. 54. à num. 4. P. Amicus tomo 3. d. 35. à num. 21. P. Ripal. tomo 2. de Ente supernat. d. 78. n. 40. Montesin. d. 35. quæst. 5. Et idem tenentur dicere Authores affirmantes, Angelos, & primos Parentes, licet se disposuerint ad primam gratiam, non illam promeruisse de condigno, sed tantum de congruo, de quo infra.

544. Probatur primò, quia opera etiam supernaturalia, & ex auxilio Dei facta, si præscindant à dignificatione habitâ per gratiam sanctificantem, nullam habent ex se condignitatem, æqualitatem, aut proportionem cum vita æterna, aut cum dono illam virtute, seu in radice continente, nempe cum gratia; ergo neq; de potentia Dei absoluta possunt mereri de condigno gloriâ, aut gratiam; siquidem opus, sive actus ex se non condignus ex sola voluntate Dei extrinsecâ, reliquis omnibus immutatis, neque de potentia Dei absoluta potest accipere condignitatem, cum per eam voluntatem, & potentiam absolutam, non possit actus melior, aut honestior reddi, quam in se est, neque dignus majori æstimatione, & complacentiâ Dei, quam ex se merebatur, ut patet ex supra dictis à num. 428. & patebit ex dicendis.

535. Probatur antecedens primò ex D. Dionysio de Eccles. Hierarch. cap. 2. ubi ait hominem non posse facere divina (id est, condignè meritoria apud Deum,) nisi prius ipse divinus efficiatur; fit autem divinus, & confors Naturæ Divinæ per gratiam sanctificantem. Secundò ex illo ad Rom. 8. Non sunt condignæ passionibus, &c. ex quo communiter desumunt Theologi, nostras passionibus ita esse condignas præmio gloriæ ex dignitate filiorum Dei, ut absque illa condignæ esse non possint. Tertio ex magna excellentia vitæ æternæ, & Visionis Dei, cui opera, etiam supernaturalia non sunt æqualia secundum se, & absque gratiâ ea dignificante, & æqualitatem præstante.

536. Quarto, quia dignitas personæ operantis auget valorem operum, etiam supernaturalium, ut patet ex supra dictis, & patebit ex infra dicendis; ergo opera etiam supernaturalia præcisa à tali dignificatione non accedunt ad valorem, & condignitatem gloriæ; alioqui accedente tali dignificatione, talia opera excederent valorem beatitudinis, præmiaretque Deus citra condignum, quod non est dicendum. Quintò, quia gloria, cum sit hæreditas, non potest à servo, sed à filio condignè promereri; fit autem filius per gratiam sanctificantem. Sextò, quia sequeretur, posse hominem de condigno mereri primam gratiam, sive primam sanctificationem, quod communiter negatur, etiam in Angelis, & primis Parentibus. Septimò, quia præmium vitæ æternæ, cum sit perpetuum duraturum, ut illius meritum fit ei proportionatum, & condignum, debet status personæ merentis esse de se perpetuus, quantum fieri possit; talis autem est solus status sanctitatis, utpote qui perpetuus erit, nisi

Tóm. 2.

per peccatum interumpatur; ergo &c.

527. Probatur secundò, quia non potest mereri de condigno apud Deum, etiam divinitus, persona illa, quæ non est digna, ut ei obsequia præstet, & cum illo contrahat, sive paciscatur de præmio sibi conferendo; sed nulla persona absque gratia sanctificante esset digna, quæ obsequia Deo præstaret, aut cum illo contraheret, sive pacisceretur; siquidem suâ præ naturâ non esset digna auxiliorum gratiæ ad talia obsequia perficienda, prout supra diximus à num. 474. ergo &c.

528. Dicent primò, sufficere voluntatem Dei extrinsecam ad elevandum hominem ad quandam dignitatem, & valorem morale ordinis superioris, in quo possit per actum ex gratia factum reddi completè condignus præmii supernaturalis, & de illo cum Deo pacisci. Sed contra, quia Deus per solam suam voluntatem, promissionem, vel acceptationem extrinsecam non potest reddere actum honestum naturalem condignè meritorium vitæ æternæ; neque actum supernaturalem puri hominis condignè satisfactorium pro peccato mortali, & redemptione humanâ; ergo neque condignè meritorium gratiæ, & gloriæ. Confirmatur, quia si actus solâ voluntate Dei extrinsecâ est dignificabilis, non datur major ratio, cur hic, & non illi; & cur ad tantum, & nõ ad majus præmium possint dignificari; si enim volitio divina per se posset dignificare, omnem dignificationem possibilem contineret; sed illas non continet, ut patet ex supra dictis; ergo neque istam.

529. Dicent secundò, esse diversam rationem de actu naturali honesto, quem Deus etiam de potentia absoluta non potest per voluntatem extrinsecam elevare ad meritum condignum gratiæ, & gloriæ, quia condignitas meriti cum præmio requiritur propter intrinsecam proportionem æqualitatis unius cum alio; hanc autem proportionem non posse Deum tribuere per solam voluntatem extrinsecam illi operi, quod illâ caret; sic enim non potest facere, quod frigus habeat proportionem cum igne: at verò dignitas personæ, cum sit quædam ejus excellentia, solum requiritur ut quid ei extrinsecum, sicque potest per solam Dei voluntatem extrinsecam præstari, & suppleri. Sed contra, quia falsò supponunt, gratiam sanctificantem solum requiri ad condignitatem actus meritorii, ut quid extrinsecum, & non conferens proportionem æqualitatis cum præmio; siquidem jam supra diximus, concurrere ad meritum condignum vitæ æternæ positivè, ut pars essentialiter constitutiva illius, & conferens æqualitatem proportionis cum præmio beatitudinis.

530. Dicent tertio, dari etiam diversam rationem de actu supernaturali puri hominis satisfactorio pro peccato mortali, quia satisfactio puræ creaturæ semper manet in ordine longè inferiori respectu peccati; siquidem hoc cum desumat suam gravitatem à Deo offenso; illa verò suam dignificationem ex homine satisfaciente, sive hic fit dignificatus per formam intrinsecam, sive per solam extrinsecam Dei acceptationem, semper ejus satisfactio manet inferioris conditionis; ac proinde improportionata: at verò ad merendum, nihil obstat inferioritas personæ, cum præcipuè attendatur ad opus proportionatum cum præmio, quale est opus supernaturale, cum sit in eodem ordine cum ipso præmio. Sed contra, quia falsò supponit opus etiam supernaturale habere proportionem condignitatis cum vita æterna, si non procedat à persona dignificata per gratiam sanctificantem, ut patet ex supra dictis.

R. r

Oppo-

531. Oppositum tenent *P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 14. num. 16. P. Valent. tomo 2. d. 8. quest. 6. punct. 3. §. Ad primam, P. Granad. 1. 2. contr. 8. tr. 11. d. 5. P. Ragus. tomo 1. in 3. part. d. 4. proposit. 2 & 4. & à fortiori. Caiet. Medin. Scot. Faber. Gabr. Bassol. Ocham. supra cit. num. 435. qui id affirmant de operibus naturalibus, & in terminis propositis id docet *P. Tanner. cit. d. 6. quest. 6. dub. 2. num. 39.* pro quibus: Objicies 1. Rex solâ suâ voluntate extrinsecâ potest augere valorem monetæ; ergo etiam sic poterit Deus meritum, & condignitatem augere bonis operibus, saltem ex auxilio gratiæ factis. Respondeo primò, argumentum nimium probare, si quid probat; siquidem ex illo sequeretur, quod sicut Rex potest dare valorem auri rei vilissimæ, ita etiam Deus possit præstare valorem condignum gratiæ, & gloriæ actibus nullius penè valoris, imò & omninò naturalibus, indifferentibus, & etiam malis, quod non dicent.*

532. Respondeo secundò negando consequentiam, diversa ratio est, quia pecunia non movet homines ad illius majorem æstimationem ob suam perfectionem, sed ob majorem utilitatem, quam habere potest ad acquirendas divitias per cõmercia; hæc autem major utilitas potest ei provenire ab extrinsecò; siquidem valor pecuniæ est per modum signi arbitrarii, & ad placitum Regis extenditur ad tantum, aut tantum pretium; signum autem arbitrarium, & ad placitum constituitur formaliter per actum, sive impositionem voluntatis extrinsecæ, prout alibi diximus in Logica: at verò opera meritoria de condigno movent Deum ad præmiandum ob suam perfectionem, & honestatem condignam talis præmii; hanc autem cum habeant ex dignificatione gratiæ habitualis, non potest à Deo suppleri per voluntatem suam extrinsecam, ut supra diximus. Et patet, quia Deus per solam suam voluntatem extrinsecam non potest efficere, quod albedo sit intensior, & faciat magis album; multòque minus facere album sine albedine; ergo neque sic poterit efficere, quod actus sit condignior, aut fiat condignus sine forma condignificante, qualis est gratia sanctificans.

533. Respondeo tertio cum *P. Amico cit. d. 35. n. 22.* negando absolutè antecedens; Rex enim voluntate suâ extrinsecâ non auget valorem condignum, sive intrinsecum monetæ; alioqui posset sic efficere, ut nummus cupreus haberet valorem intrinsecum nummi argentei, vel aurei. Unde quando auget valorem in pecunia, non illam reddit ex se condignam, si aliàs ex se condigna non est, sed solùm præscribit, ut omnes ob publicum bonum in rerum commutatione sint contenti tali pretio: quo pacto Deus poterit etiam acceptare ad vitam æternam, quod ex se tali præmio non est dignum; non tamen efficere, ut tali dono sit condignum.

534. Instabis: Deus per extrinsecam voluntatem, & acceptationem potest efficere, ut dignum fiat, quod ex se dignum non est, dignum fiat, & plurius æstimetur ex eo solùm, quòd à Deo donetur; ergo &c. Respondeo negando antecedens quoad primam partem, & assignando diversam rationem quoad secundam, quia donum, cum sit opus donantis, ab ipsa persona donante accipit valorem, & dignitatem, ideoque quòd persona donans dignior est, eò donum moraliter dignius efficitur: at verò meritum, cum sit opus merentis, ab ipso offerente, non autem à persona acceptante, accipit valorem. Unde

retorqueri potest argumentum: Ita se habet meritum ad retribuentem, sicut donum ad donatarium; sed donum nequit accipere valorem à donatario, sed à donante; ergo neque meritum poterit valorem accipere à retribuyente, sed à merente.

Objicies 2. Deus voluntate suâ extrinsecâ potest reddere hominem sibi amicum, & amabilem; cūque prout sic peccatum condonare absque infusione gratiæ; ergo etiam sic poterit voluntate suâ extrinsecâ reddere opera supernaturalia condignè meritoria præmii supernaturalis. Respondeo, Deum solâ suâ voluntate extrinsecâ reddere quidem hominem sibi amicum, & amabilem, sed amore communicativo bonorum ex sua liberalitate; non autem reddere illum dignum amore amicitiae, quo ei tribuat præmium de condigno ex condignitate operum supernaturalium, quibus talem condignitatem non potest sic tribuere per voluntatem extrinsecam, ut diximus. Similiter potest per voluntatem extrinsecam peccatum homini condonare; quilibet enim potest sic condonare offensam sibi illatam; sic tamen condonatus non manebit amicus Dei, neque condignus vitæ æternæ, aut præmio supernaturali defectu gratiæ sanctificantis, ex qua desumitur operum condignitas.

Objicies 3. Deus voluntate suâ extrinsecâ abique gratia habituali, potest hominem sibi adoptare in filium, & constituere heredem vitæ æternæ; sicut potest homo alium sic adoptare, & heredem constituere; sed eo dato, operationes talis hominis essent actiones filii adoptivi, sicque meritorie de condigno vitæ æternæ; siquidem ex hoc capite adoptionis filii Dei dicimus, homines mereri de condigno vitam æternam; ergo sine gratia habituali potest Deus tribuere homini dignitatem sufficientem ad meritum de condigno.

Respondeo primò, argumentum, si probat pro Adversariis, teneri etiam ipsos concedere, posse Deum dignificare prout sic valorem operum naturalium ad properendam vitam æternam de condigno solâ suâ extrinsecâ voluntate, & acceptatione; & similiter dignificare valorem operum puræ creaturæ, ita ut possit mereri de condigno satisfactionem pro peccato mortali, & redemptionem generis humani; siquidem cum voluntas divina sic extrinsecè dignificans sit infinita, poterit opera talis puri hominis infinite dignificare, quod ipsi non concedent.

Respondeo secundò cum *P. Ripal. cit. num. 44.* si Deus voluntate suâ extrinsecâ potest hominem constituere justum, amicum, & filium adoptivum (de quo hic non disputamus,) possibile esse meritum condignum vitæ æternæ sine gratia habituali secundum rationem specificam gratiæ, de quo non dubitamus, ut ex infra dicendis constabit; non autem sine gratia absolutè dignificante; siquidem tunc, ut supponunt, fieret homo per voluntatem Dei extrinsecam justus, amicus, & filius adoptivus, sicut modò fit per gratiam habitualem, in quo sensu procedit nostra resolutio.

Respondeo tertio, Deum posse quidem per voluntatem suam extrinsecam aliquo adoptionis genere hominem adoptare in filium, sumpto filii vocabulo in sensu latissimo, eo ferè modo, quo nunc ratione creationis omnes homines dicuntur filii, & Deus illorum Pater; & sic ratione hujus qualiscunque adoptionis posse tali homini dare jus ad gloriam tanquam ad hereditatem etiam latissime sumptam: nunquam tamen posse Deum adoptare hominem propriè in filium, & ei dare jus ad gloriam tanquam ad coronam debitam ex merito de condigno.

digno sine gratiâ habituali dignificante; siquidem corona, & merces respicit condignitatem operis; hæc autem provenit à dignitate personæ intrinsicè sanctificatæ, aut per gratiam habitualem; aut per actualem, si actus amoris Dei est forma sanctificans formaliter, ut plures asserunt, de quo hic non disputamus.

540. **Objicies 4.** Deus operibus supernaturalibus hominis non habentis gratiam habitualem potest promittere vitam æternam; sed factâ hac promissione, homo supernaturaliter operans haberet jus ad vitam æternam, illamque mereretur de condigno; sicut de condigno acquireret jus ad præmium promissum conficienti aliquod poemâ, qui illud conficeret; ergo &c. Respondeo negando minorem quoad secundam partem; tali enim homini conferretur gloria, non ex obligatione inductâ per æqualitatem operum cum præmio, ut requiritur ad meritum de condigno; sed inductâ per contractum promissionis onerosâ, sive talis obligatio sit justitiæ strictæ, sive legalis, sive fidelitatis, de quo non disputamus. Ad illud de Poëta, si præmium ei promissum sit excessivum supra id, quod prudentes communiter judicant deberi poemati secundum se, dicimus tale præmium non cadere propriè, sed solum vulgariter sub meritum poematis, licet jure justitiæ orto ex contractu promissionis debeatur, quia præmium excedit dignitatem poematis.

541. **Objicies 5.** Imperfectissimus actus charitatis simul cum gratia habituali est æqualis valoris cum pluribus gradibus beatitudinis; ergo aliquis actus perfectissimus supernaturalis se solo sine gratia habituali, poterit esse æqualis valoris cum unico saltem gradu beatitudinis. Respondeo negando consequentiam; nullus enim actus noster, licet perfectissimus, ex his, qui nunc fiunt, potest pervenire ad æqualitatem cum unico gradu, vel minimo gloriæ, utpotè qui tantum præmium est, ut nullo valore æquetur, qui non sit æqualis æstimationis cum gratia habituali, quæ concurrit, ut diximus, ad æqualitatem proportionis nostrorum actuum cum præmio vitæ æternæ.

542. **Objicies 6.** Gratia solum concurrit ad meritum in genere causæ efficientis; sed Deus potest supplere concursum causæ efficientis; ergo potest defectum gratiæ supplere ad meritum condignum. Respondeo negando majorem; neque enim gratia justificans concurrit ad condignitatem meriti in genere causæ efficientis, sed formalis dignificantis, & tanquam pars constitutiva condignitatis meriti, ut infra diximus num. 515.

543. **Objicies 7.** Minor operum perfectio, & meritum, quam de facto convenit nostris operibus ex gratia factis, potest sufficere ad meritum condignum vitæ æternæ: tum quia æqualitas nostri meriti cum præmio non est omnino absoluta, & rei ad rem, sed solius proportionis, & respectiva suscipiens magis, & minus: tum etiam, quia, ut plures tenent, possibilis est gratia justificans specie ignobilior, quam hæc, quæ de facto datur; consequenterque habitus, & actus ignobiliores specie; homo autem per hos actus, & gratiam justificatam inferioris perfectionis, & meriti, posset mereri de condigno vitam æternam; ergo seclusâ perfectione, & dignitate gratiæ, potest in nostris operibus supernaturalibus manere sufficiens æqualitas ad condignitatem meriti vitæ æternæ.

544. Respondeo negando antecedens; neque enim sufficit minus meritum ad æqualitatem, etiam proportionis cum præmio, quam de facto convenit ex gratia nostris operibus; siquidem Deus attingit su-

premas omnium metas in dispensando præmium, etiam intra latitudinem proportionis, propter opera ex gratiâ, & non sine gratia elicita; ex quo patet solutio ad primam antecedentis probationem. Ad secundam, admittâ de possibili gratiâ justificante specie ignobiliore cum habitibus, & actibus, etiam perfectione inferioribus, dicimus, admittendam etiam esse Visionem Beatam inferiorem hac, quæ nunc existit; hoc autem dato, actus inferioris perfectionis, & meriti, qui fierent cum ea gratia ignobiliore, compensarentur præmio gloriæ etiam inferiori; sicque nunquam pervenirent ad æqualitatem cum præmio gloriæ nunc à Deo disposito; neque essent illius gloriæ meritorii de condigno sine gratiâ justificante, quod intendimus probare.

SECTIO XXVI.

Quenam gratia sanctificans necessaria sit, & sufficiat ad Meritum condignum vitæ æternæ?

NACTENUS diximus, ad Meritum de condigno requiri in homine statum gratiæ, sive necessariam esse gratiam illum sanctificantem, & dignificantem. Cum tamen hæc sanctificatio, sive dignificatio possit homini convenire, aut per gratiam habitualem: aut per substantialem, & hypostaticam Dei: aut per actum charitatis actualis, qui in multorum opinione est forma sanctificans: aut per solum favorem extrinsecum, qui etiam in multorum sententia potest hominem divinitus justificare: aut per gratiam habitualem specie diversam ab hac, quæ de facto datur, quam plures possibilem admittunt; quanam istarum necessaria sit, & sufficiat in homine, ut vitam æternam possit de condigno mereri, per sequentes conclusiones videndum nobis est: Sit igitur:

546. **Conclusio 1.** Gratia habitualis, quæ de facto datur, sufficit ad Meritum condignum vitæ æternæ. Est certa. Probat, quia homo justus de facto meretur de condigno vitam æternam, quin justificetur, & dignificetur aliâ gratiâ, quam habituali; siquidem ad illius meritum non est necessarius actus charitatis tanquam forma justificans, neque illum justificat gratia Unionis Hypostaticæ, neque favor extrinsecus, aut aliqua alia gratia, cum non appareat quæ sit; ergo gratia hæc habitualis necessaria est, & sufficit.

547. **Conclusio 2.** Secundum Providentiam Dei ordinariam non potest dari meritum condignum absque gratia habituali. Probat, primò ex supradictis à num. 465. Secundò, quia homo de facto justificatur ad meritum condignum per gratiam intrinsicam; sed præter gratiam habitualem de facto non est alia intrinseca, nisi Hypostatica, & actualis, quarum neutra dignificat ex natura rei ad meritum absque gratia habituali; ergo &c. Probat, minor quoad Unionem Hypostaticam: Primò, quia omnes actus supernaturales, aut naturales virtutum acquisitarum, supponunt ex Providentia Dei gratiam habitualem tanquam primam radicem meriti. Secundò, quia omnes hi actus de facto informantur extrinsecè, reddunturque amabiles per gratiam habitualem; sed Deus acceptat ad præmium omnes Christi actus secundum totam amabilitatem, & æstimabilitatem, quam habent; ergo gratia Unionis Hypostaticæ ex natura rei non illos dignificat absque gratia habituali.

R r 2

Probat